DE HYDROCEFALO ACUTO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Girolamo Fantinati

DE

HYDROCEPHALO ACUTO

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

In Patria Universitate

proponit

HIERONYMUS FANTINATI

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

Non gloria, sed officium.

AVUNCULIS

IN GRATI ANIMI EXISTIMATIONIS ET AMORIS

ARGUMENTUM

HOC DICAT OPUSCULUM

OBSERVANTISSIMUS NEPOS

DE HYDROCEPHALO ACUTO.

Inter graviores morbos infantili quidem aetati magis communes, non vero huic soli proprios, certe Hydrocephalum Acutum recensendum arbitror. Hujusce tamen morbi sermo quidam nimis obscurus et anceps in antiquorum scriptis invenitur. Ipsius descriptionem sat distinctam Sauvagesius praebuerat, oblivione in posterum obrutam, namque nomine Eclampsis ab illo nuncupabatur. Ruperto Whyltio princeps de isto et revera completa debetur Dissertatio. Ipse, probato discrimine inter symptomata quae plerumque serosas Encephali in infantibus effusiones sequuntur, et illa quae ex rapida haemorrhagia habentur in textu Cerebrali, etiam propter fluidi effusi in casibus ambobus analogiam; morbum de quo sermo est, chronico Hydrocephalo simillimum existima-

vit, ideoque nomine Hydrocephali Acuti insignivit. Post hujus doctrinam, gravissimi auctores et summa laude digni uti Coindetus, Itardius aliique, hoc argumento plurima luce perfuderunt, non ita tamen, ut quamlibet difficultatem auferrent. Phlogistici vero processus recognitio, indagines auctorum recentissimorum summae, Anatomes Pathologicae lux, quae cerebri organicas mutationes clare nobis ostendit, pluribus evictis difficultatibus, Hydrocephali diagnosim in aperto posuerunt; sique nondum hujus affectionis patefacta nobis origo, difficile tamen perscrutantis Medici sese oculis abdit.

DE SEDE ET NATURA HYDROCEPHALI.

Quam variae atque ad invicem inter se pugnantes veterum opiniones de Hydrocephali sede atque natura! Serosas omnes effusiones acutas in Encephalica cavitate apoplexiae consequentes, quam nos Serosam vocamus, autumabant. Morgagnius hujusmodi morbum sicut effusionis effectum consideravit, quin ipsius causam cognosceret. Whyttius, ut hujusce effusionis genesim explicaret, venosam fieri admisit activam congestionem, a sublato aequilibrio inter exhalantia arteriosa, et venas absorbentes, et hinc maxime veritati accedere videbatur. Gardonius aliique, qua febrim essentialem illum agnoverunt; sed haec assertio vali-

dis carebat fundamentis, ideoque nihili ipsam duxerunt. Itardius opinatur Hydrocephalum modo Essentialem, modo Encephalitidis symptomaticum esse. Quae ex tot, tantisque in medium allatis opinionibus erit minus incerta? Nos in ea sumus sententia, non posse essentialem haberi hydrocephalum, at necessario a phlogosi pendere: nam; quomodo haec opinio admittenda, si Strambio teste, omnia symptomata, quae hoc in morbo observantur, illa non dubia sunt, quae vel Encephalitidem, vel Aracnoitidem acutam sequuntur? Quod si aliquibus in casibus illas mutationes necroscopia nobis non ostendit quae phlogoseos existentiam demonstrent, non ignoramus attamen, saepe illas post mortem evanescere, praesertim ubi de inflammationibus membranarum sermo sit: exemplum nobis offerunt hydropes abdominales a phlogosi peritonaeali exortae, in quibus non semper constantem ruborem atque turgorem phlogosim comitantes invenimus.

Quid nobis igitur statuendum est? Cum causas consideramus quae hunc gignunt morbum, symptomata quae exhibet, mutationes quae in cadaverum sectione reperiuntur, curae denique methodum, morbum, de quo sermo est, veram esse et vehementem Aracnoitidem non dubitamus, quam ipsâ membranae naturâ, augmentum exhalationis consequitur. Tam gravis vero morbosa conditio in hac una membrana

consistere nequit, sed meninges etiam, et Cerebri substantia hujus participes fiunt; hinc, dum phaenomena adsunt inflammatoria et febrilia, etiam facultatum intellectualium laesiones cernimus, ut convulsiones, sensuum anomaliae, sopor, atque alia: cum autem effusio orta sit copiosa, haec eadem cerebrum comprimit, unde apoplexiae phaenomena prodeunt. Nec dicendum, in hoc solummodo morbum consistere, quoniam Hydrocephalum acutum qua alius affectionis inflammatoriae, et in primis non bene cognitae, vel male curatae ventriculi aut intestinorum phlogoseos effectum dignoscimus. Verum enim vero, dolor, qui semper Epigastrion aggreditur (praesertim tum cum Caephalalgia minus vehemens est) simul cum diarrhoea clare demonstrat ventriculi atque intestinorum irritationem: adde insuper, quod dolor iste morbum praecedit; adde ruborem ad latera et ad apicem linguae, quae interdum spisso obducta conspicitur muco; adde denique quod Hydrocephalus saepe cum vomitu, aliisque symptomatibus gastricae phlogoseos conjungitur, et suadebimus nobis in hujusmodi morbo semper, aut saltem ab initio, gastricarum viarum irritationem haberi.

Phlogosim encephalicam non inficiabimur quandoque primitivam esse posse; sed asserimus nonnullos auctores nimiam cephalicis symptomatibus mentem praestitisse, et parum illis ventriculi et intestinorum

respexisse. Sit vero fas asserere, in Hydrocephalo acuto primum saepe Gastro-Enteritidem existere, cui varia celeritate Aracnoitis adjungitur: tum et quando ab encephalo phlogosim originem ducere, quae inde ad viscera digestioni inservientia propagatur. Rarius phlogosis Encephalica ex se stat, et aegrum occidit.

HYDROCEPHALI ACUTI HYPOTYPOSIS.

Hydrocephalus acutus quatuor stadia percurrit: 1.° stadium prodromorum, 2.° inflammationis, 3.° secretionis morbosae, 4.° stadium paralyticum.

I. Sicuti hujusce morbi prodroma, praeter volumen capitis auctum, auctumque pondus, si aetati, aliisque corporis partibus respicere velimus, saepe quaedam ex sequentibus observantur: nempe oculi prominentes, animus hebes, loquelae tarditas, gressus lentus, veternus, vertigines, vultus tumidus, pallor ad cutem, urinae et dejectiones alvinae parcae, atque totius corporis infirmitas.

II. Istis praegressis, Cephalalgia violenta et continua erumpit, quae si rumor fit, aut lux adsit exasperatur, cui Gasteralgia et colici dolores subsequuntur. Continue aeger caput circum agit, manus fert motu quodam automatico, non jam ad cranium, sed ad os atque nares, ut si quid ex eis educere vellet. In eo

morbosa inest sensilitas, lumina sursum tollit, ipsa demittit, hinc movet et hinc; pupilla angusta, narium ariditas frequens, in deliquium proclivitas, frigus aliaque symptomata essentialia febris ingressum demonstrant. Lingua parum conspurcata, ad latera et ad apicem rubicunda apparet, halitus graveolens, apositia, materierum putridarum frequens vomitio, continuus dolor ad regionem Epigastrii, venter tumidus, pertinax alvi obstipatio, urinae turbidae super quas puncta micantia natare conspiciuntur; cuncta haec aliud phaenomenorum apparatum sistunt. Adde, aegri anxietatem et inquietudinem, stridorem in clamore singularem, quem Coindetius *Clamorem Encephalicum* declaravit; faciem modo animatam, modo incompositam, pulsus frequentes, irregulares, modo lentiores debilesque.

Hujusmodi symptomata, decursum non ita regularem percurrunt, nec, ut descripsimus, aperte videmus, sed multae adsunt mutationes, ideoque referendum ducimus quod Frankius scripsit: —Quod si vero puerulorum aut aetatem fari nesciam, aut morositatem, qua nec pulsuum quidem exploratio aliquando conceditur, aut taciturnitatem contumacem, aut in responsis inconstantiam paucae fidei dignitatem consideres; quam infirma haec omnia desideratae diagnosis fulcra dicenda sint, eo facilius quod et ipse capitis dolor, et levis impatientia, et vomitus, et febris

defuisse sint visa, concludes — et quoad decursum — si vero huic morbi stadio dierum vel decem vel quindecim intervallum assignant, sunt certe et quidem plurimi quibus istud longe brevius sit, et quibus morbi decursus stadiis nempe caeteris sibi rapide succedentibus non sex adeo quam duarum hebdomadarum, ac breviore aliquando intervallo in mortem terminatur.

III. Stadium in quo morbosa solet evenire secretio istis stipatur phaenomenis:

Febris remittet, affectio cerebri penitus disparet, frequentia suspiria ac valde difficilia respirationem sequuntur profundam, pueri inquietudo in apathiam transit, quam clamor ille Encephalicus interdum interrumpit. Maximam attentionem oculorum symptomata desiderant; initio maximam patiuntur sensilitatem, cujus causa luci adversantur; pupilla summopere dilatatur; quotiescunque aeger in soporem transit sub palpebris hiantibus oculos videmus se se undequaque moventes, saepe sursum respicientes: si palpebras digitis pandimus, tantum partem corneae opacae inferiorem apparet: morbo progrediente Strabismus observatur. Juxta Itardium, Iris lucis actioni exposita spasmodicum quendam constrictionis et dilatationis alternatim patitur motum. Interdum oculi characterem exhibent peculiarem, qui ad hydrocephali physiognomiam pertinet; ipse in immobilitate qua-

dam sistitur quae ad exstasim spectare videtur, vel ad profundam animi tranquillitatem: interdum adest Diplopia, vel aliae luminis hallucinationes. Hisce addas caloris et sitis decrementum, decubitum in lecto obliquum, se se erigendi impotentiam, vocem nasalem vix percipiendam, evacuationes inscias. Haec ipsa vero morbi periodus interdum tam brevis est, ut ob mortem, etiam ubi spem medici superesse aliquando pronunciaverint, vel diris convulsionibus et quasi strangulatione, promptissime succedentem, quartae vix locum concedat periodo. Quantum autem (P. Frankius) inconstantiae ac fallaciae symptomatum et in hoc stadio subsit, tum ex eo, quod nec Strabismus, nec adversio a luce, nec pupillae dilatatio tam generaliter adsint, tum ex eo, quod eadem fere phaenomena et sub gravi dentitione, et sub vermibus, eidem aetati ac morbus noster propriis, et sub aliis haud raro sese manifestat, non difficulter eruitur. Ita Petit demonstravit phaenomena febris verminosae propria in hydrocephalo absque vermibus esse; atque Charpentierius asserit pupillae tremulam constrictionem existere, tum etiam cum nulla in Encephalo occurrat effusio.

IV. Sub fine igitur tertiae periodi convulsiones apparent, quibus hemiplegia succedit, tremores in altera corporis parte quam paralysis non corripuit, dentium stridor; oculi ex orbitis prominentes videndi amittunt

facultatem, frigidus viscidusque sudor praesertim ad latus hemiplegiacum, pulsus celerrimus, sed interdum he ac sub fine lentus; tandem et pharynx et oesophagus a resolutione vel spasmo affecti, transitum alimentis vel potui recusant. Alvus viridissima, herbacea saepe, nunc liquida, inscio aegro fluit; lingua, dentes nigrescunt, aut aphtosa illa insignitur rubedine, foetorem contrahit urina. Denique sopor ingruit, qui interdum diem extremum conficit.

NECROSCOPIA.

Laesio prima quae, techa ossea dempta, exhibetur, in gravi durae matris et cerebri vasorum congestione posita est, imo ut ab aliquibus Auctoribus asseritur, haec vasa a quodam fluido aëriformi extensa inveniuntur.

Cerebri saepe substantia, consistentia naturali amissa, emollitur, sed plerumque dura et resistens est; saepe lucens quaedam serositas, autem omnino puriformis totam cerebri superficiem obtegit. Recentiora Pathologiacae anatomes experimenta quaedam ostendunt in cerebri et cerebelli substantia tubercula, haeque pariter in nervorum opticorum Thalamis, nec non in meningum densitate. Laennechius in nonnullis individuis cerebri superficiem complanatam inspexit, circumvolutiones deletas, et ipsum cerebrum solutum. Id quod saepius adnotandum in hujusmodi

laesionibus evenit, effusio est humoris in Cerebri ventriculis, interdum vero inter meninges, aut inter istas et cranium.

Tumet quando nil omnino; et Cerebrum, tam intus quam extra, nullum abundans madefacit serum.

Ventriculus, post cerebrum, majores mutationes ostendit; ipsum enim inflammatum, suppuratione correptum, ac ejus membranas facile cindendas cadaverum sectio demonstravit. Jaegesius quoque ipsius dissolutionem vidisse asserit.

Intestina insuper inflammata, volvulo correpta, jam jam in gangraenam vergentia, detegerunt: praeterea non infrequenter vermes adsunt.

AETIOLOGIA.

Plures infantes hydrocephalo acuto afficientur ex congenita in sinu materno dispositione.

In iis patens stupiditas observatur, aut minus ad mentis exercitationem apti videntur; nonnunquam oppositum habetur phaenomenon, scilicet praecox intellectus evolutio: interdum notabilis timiditas atque hebetudo. Juxta varias telluris regiones major etiam in infantibus inest dispositio; observamus etenim quod in multis Americae partibus atque in Anglia id frequentius habetur, quam caeteris in locis. Raro notatur ante tertium aetatis annum; ut pluri-

mum inter quintum et undecimum, serius vero rarissime.

Alias insuper enumerare causas possumus, uti insolationes, labor in fornacibus, in locis nimis calidis habitatio, motus in gyrum nimium continuatus, terror vel alia animi pathemata; alicujus exanthematis retropulsio, ut Variolarum, Rosoliãe, crustae lacteae: quapropter saepe erysipelas observamus externum, aut natura sua vagum, aut quia se se nimis extendit, cerebrum, et frequentius ejus involucra corripere. Hoc de aliis inflammationibus dicendum.

Supra dictis adde scrophulas, ossis cranii mollitiem, haemorrhoidum, aut epistaxeos, aut alicujus sive habitualis fluxus suppressionem, denique ipsam temporum constitutionem.

Alium aetiologiae fontem omnes illae praebent causae, quae mechanice agunt, inter quas lapsum ab alto cum capitis percussione aut fractura, vel cerebri commotione, cranii vulnera, et similia numeramus.

PROGNOSIS.

Hydrocephali acuti prognosis ex ipsa morbi descriptione facile apparet. Maxima auctorum pars, quos inter Burserius, Whyttius, aliique, illum reapse mortalem judicant. Nonnulli recentiorum vero quartam vel quintam puerorum partem qui hydrocephalum

acutum passi sunt, se ad pristinam restituisse valetudinem asserunt. Quidquid P. Frankius autumaverit liceat proferre — Ad hunc morbum, ait, quod pertinet num, vel unus, de cujus hydrope ad cerebrum acuto revera constiterit ab eodem, nisi casu quasi fortuito in aliam partem conjecto, aut in alium morbum converso, convaluerit. Si modo, in quo nodus haeret recta ejus Diagnosis non desit, non omnem curationis spem ab illa respui concedimus: quamprimum vero tantum aquae in ventriculis cerebri, aut certa quidquam per signa se prodat, collectum est, sub tam pigra serie his e locis resorptione, de sanatione morbi conclamatum esse putamus — Inter signa quae prognosim minus infaustam amittunt Strabismi deficientiam, convulsionum atque soporis recensendam putamus.

Animadvertere vero oportet, phaenomena interdum mitigari, et aegrum prope valetudinem esse, attamen cum e lectulo surgat aut quocunque modo se moveat in profundum soporem qui in mortem desinit, rursus cadit. Concedimus interdum valetudinem dari, sed secundo tantum stadio, vel, rarius, in principio tertii; his transactis difficillime vel unquam arcentur damna quae morbus intulit, et aeger certa morte perit. Addam quod robustorum infantum morbus, plerumque illo, qui debiles prehendit citius lethalis est.

Natura Hydrocephali statuta, organis quibus haeret expositis, phaenomenis, quae illum comitantur indicatis, numeratisque causis et mutationibus, quae in cadaveribus reperiuntur, ad curam statuendam gressum faciamus.

Indicationes in curando Hydrocephalo acuto sunt. 1.° causas amovere, quo facto: 2.° phlogosin sedare; 3.° serosam cohibere effusionem: 4.° denique hanc, ubi adsit, statim dimovere.

Hinc aeger elato capite stet, ab illo fletus atque agitatio absint, locis temperatis, et procul a luce nimia moretur, nec non a quolibet strepitu atque rumore. Diaeta maxime austera sit, nunquam substantiae nutrientes praesto sint nisi morbo profligato.

Ut phlogosim, in qua evincenda tota Medici cura sistit, arceamus, aetate, viribus, et morbi gravitate consideratis, ad venae sectionem confugiendum est. Sunt, qui affirmant hunc morbum nullo alio modo curari posse, nisi sanguine adeo fluente, ut omnino pulsus in aegro desint, et in asphyxiam inducatur; imo asserunt quod, ubi ista cessarit paucis diebus post, rursus ad phlebotomiam confugere oportet, talique methodo ex nonaginta, sexaginta ad valetudinem perfectam restitui posse testantur. Quidquid de hac methodo nonnulli cogitent, certum tamen est,

ad morbum evincendum venae sectionibus opus esse.

Nec glaciei ad caput applicationes minorem afferunt utilitatem, et potiones frigidae, ubi cum Gastro-Enteritide adsit complicatio. Quapropter majori applicationis commodo atque efficacia, capillis abrasis, linteola, aqua gelida madefacta admoveantur, aut, ne rapida temperiei mutatio accidat, quod valde periculosum esset, vesicae glacie plenae. Post hoc ad remedia refrigerantia confugiat Medicus, nec non ad purgantia, atque ad illa, quae methodum antiphlogisticam constituunt. Derivatio ad pedes, calidis pediluviis, aut sinape bis terve de die repetita summopere laudata fuit.

Si gastrica aderit complicatio, hirudines ad abdomen admoveantur, lotiones frigidae, clismata ex aqua frigida, aut, teste Stambio, ex ipsa, et lacte confecta; fortiora purgantia absint, quae non nisi graviorem facerent affectionem.

Sub inflammationis fine, ut ubi serosa adpareat effusio, diureticis utendum est, nec non frictionibus ex hydrargyro.

Calomel a plurimis auctoribus summopere laudatur usque dum fluidas producat evacuationes; ab aliis cum Jalapa, Gummi, Gutta aliisque conjungitur. Angli, atque Americani Calomel exigua dosi commendant, et isto et sanguinis missione, ut plurimum cu-

ram complent. Brichetaus Scyllam praescribit, vinum vero scillyticum alii. Si parva quantitate adsint urinae, nec ulla critica habeatur evacuatio Calomeli cum parvis digitalis Purpureae dosibus jungitur, ita vero, ut nec vertigo nec vomitio exurgat. Cum aceto Scyliltico frictiones in abdomine atque ad spinam dorsalem aliqui jubent. Si id irritum fiat, ulcera artificialia ad nucae regionem, aut ad coxas, aut ad pedes emolumentum gerere dicunt, nec non moxae applicationem ad cranii sucturas Fateri vero liceat, nullum ex istis juvamen, imo graviora damna aegris attulisse. Quid dicendum de electrico fluido ad caput admoto, sicuti nonnulli cogitant?

Si maxima copia serosa collecta fuerit effusio, est et qui capitis perforationem proponit, ut fluido collecto via sic patefiat. Hujusmodi propositio Hippocratis effato videtur inniti — aqua si in cerebro suborta fuerit, ita tamen, ut in adulto secus sano contingat, adhibites medicamentis si non sanatur, caput ad cerebrum ipsum perforandum est — Nullus fuit tamen inter medicos, ait Frankius, qui se neminen a capitis Hydrope hujus ope auxilii liberatum fuisse fassus sit.

Gloveri, atque aliorum experimenta quae in hoc posita erant, scilicet crebris incisionibus sero collecto viam pandere, nique cerebri compressionem et mortem praepedire, momentaneas tantum utilita-

tes dederunt, sed minime mortem removere potuerunt.

Atque haec morbi atrocissimi, qui dum medicinam admitteret, haud satis dignoscitur, aut dum certior quidquam ejusdem fit Diagnosis auxilium vix non omne excludit, tristissima imago est.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sanguinis abusus non morbum vincit, sed morbum parit.

II.

Pseudoplasmata inflammationi propriam debent originem.

III.

Potu, quam cibo, refici facilius est (Hippocrates).

IV.

Sanguinem contagio numquam deprehendit.

V.

Morbi Dynamici curam non respuunt, quandoque mechanicam.

VI.

Agendi ratio Hydrargyri specifica.

VII.

Symptomata, quae ab auctoribus qua serosae effusionis characteristica habentur, saepe fallacia.

VIII.

Sententia illorum, qui partum a foetus motibus pendere faciunt, imo ab ipsis omnino produci existimant minime admittenda.

IX.

In syphilide, quae systema dermatos tenet, methodus endermica permaximi facienda.

X.

Pulmonum tubercula difficillime sanantur.

XI.

Hypochondria difficile hominem temperamento sanguineo praeditum aggreditur: si vero aggrediatur eum magis affligit ac melancholicum, at citius ipsum deserit.

XII.

Contagia vel per universum cutis organon, vel per organa respirationis et digestionis, vel per partes tenui epidermide obtectas, vel insitionis ope humanum ingrediuntur corpus.